DE

IVRE APVM,

Vom

Bienen-Recht.

SVB PRAESIDIO

DN. PETRI MÜLLERI,

ICti, CONSILIARII SAXONICI, PANDECT. PROF.
CVRIAE PROVINCIALIS, FACVLT. IVRIDICAE
AC SCABINATVS ASSESSORIS
ET DECANI,

ad diem Auguſti. MDCLXXXV.

IN AVDITORIO ICTORVM

DISPVTABIT

IOH. NICOLAVS KILLMAR,

STOLBERGA CHERVSCVS.

EDITIO QVINTA.

LIPSIAE,

TYPIS GODOFR. AVG. STOPFFELII.

MDCCXLVIII.

Digitized by Google

PROOEMIVM.

Si qua Sapientia divinum numen in ordinanda rerum univerſitate utitur, eadem attentione ſingula diſcuteremus, non aliter fieri poſſet, quam ut pius quidam ſtupor ac perpetuus motus agitaret animum. Non enim exiſtimandum quaſi quicquam ſine certa deſtinatione ac fine factum, cum quicquid intuemur, perfectiſſimum Sapientiæ divinæ monumentum exhibeat. Nec ulla tam levis res eſt, quæ non amplam virtutis excolendæ materiam præbeat. Apis, certe, quo ſpecie externa tenuior, eo majori præſtantia ſeſe

commendat: ut cum omnibus poſſit exemplo eſſe virtutis, tum eos præcipue, qui elegantioribus ſtudiis navant operam, ad optima quæque impellere queat. Non obiter & confuſe coëunt apes, ſed quaſi ratione præditæ ordinem ſervant tam accuratum, ut civitatem videas, ac Rempublicam optime inſtructam: Ad nutum Regis ſui intenta mandata ſibi excipiunt, ſine mora etiam exeqvuntur: hoc ipſo docentes nihil recte fieri poſſe niſi certo ordine conſtet, & nexu, nihil unquam præclare actum, niſi ductore præeunte ac magiſtro. Quod ſi nec chorus concinne inſtitui, nec naves contra hiemes ac tempeſtates ornari ſatis, nec inſtructiſſimus exercitus contra hoſtilem vim præſtari invictus ſine juſto ordine poteſt: ſane ſi ullibi, in ſtudiorum re inprimis neceſſaria ordinis ratio. Et ſi qui ſunt, qui ſine Doctore egregium quoddam in ſtudiis expediri poſſe ſibi perſvadent, ii pueris videntur ſimiles, qui cum nondum ſatis virium habent, & tamen ſoli ſine manuductore incedere conantur, ſæpius ſolo illiſi dant inconſideratæ fiduciæ ſuæ pœnas. Induſtriam ſi reſpicias apum & quam fervide, quanto labore præſtantiſſima, quæque e patentibus campis in cellulas ſuas convehant, ferreus ſis niſi otium iners ac molles delicias longius hinc abeſſe jubeas,

beas, idque tanto majori conatu, quo divinior fructus ex aſſiduitate ſtudiorum redundat. Coneris ſaltem neceſſe eſt: nec te dura laborum frangant. Quo præſtantior eſt eruditio, eo ſeveriori opus eſt niſu. Nunquam maxima vili conſtant; generoſiora animalia diutius latitant in parentum viſceribus. Totis igitur viribus niti oportet, dum præſtantiſſimis rebus inſtrui volumus. Illud in apibus cumprimis admirandum, quod tam prudenter ac callide utantur tempore, & ubi copia datur ac uſus florum, non moleſtias detrectent quascunque pro colligendo rerum optimarum apparatu. Quo ipſo nos monere videntur, ne optatam rei bene gerendæ occaſionem præterlabi patiamur. Brevibus ſpatiis incluſa vita noſtra, nec tanta ſunt capacitate mentes noſtræ, quæ omuem varietatem ac copiam rerum complecti queant. Utendum tempore, quod ſemel amiſſum revocari non poteſt: fluminis inſtar labitur: & cum præteriit ejus demum celeritatem intelligimus. Dum genua virent, incumbendum literis: quod ſequitur tempus frigidius eſt & langvidius, quam ut laboribus ferendis ſit idoneum. Non quodvis ex quovis promiſcue decerpunt apes, ſed quod uſui ſuo aptum ſumma ſolertia ac delectu colligunt: Ita quilibet id agat, ne utilita-

 tibus

tibus ſuis deſit. Sanitatem apprime juvat ciborum delectus; in vera eruditione paranda id amplectamur maxime, quod congruit, quod neaeſſarium eſt.

Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta,
Aurea perpetua ſemper digniſſima vita.

Quæ ſi negligimus in nosmet, in publicam rem injurii ſumus. Hæc dum meditor, non abs re fore putavi, ſi & hic apum naturam imitatus ex ampliſſimo juris campo ſelectiora nonnulla de jure apum colligam, inque medium afferam, id futurum ſperans, ut mellifluus optatusque fructus labores hoſce non deſerat.

CAPVT I.

DE APIBVS IN GENERE.

SVMMARIA.

I. *Unde dictæ apes. De apibus agit Phyſicus, quatenus eas conſiderat, ut inſecta vitamque earum.* II. *Politicus, quatenus pro optima republica deducenda argumentum ſumit, comparatque cum earum ſedulitate civium ſtudia.* III. *Hiſtoricus, quatenus obſervat ex advolatu & congregatione bona vel mala omina. Aliquot caſus notabiles referuntur.* IV. *Jureconſultus conſiderat juſtum vel injuſtum quidnam ſit circa eas, incluſionis, æque ac furti & aliarum rerum ratione. Et ſic agit de apibus non ſecus ac de aliis rebus natu-*

ralibus

ralibus tam vegetabilibus, quam animantibus. V. *Apes aliæ dicuntur Cicures, aliæ Sylveſtres; Omnium tamen eadem h. e. fera eſt natura. Neque mixti generis ſunt.*

Th. I.

Apes vel *Apis* ex ἀ καὶ πȣ̃ς, quod ſine pedibus naſcantur. Virg. *Trunca pedum primo. Apiarium* locus, ubi apes continentur. *Apiaſtrum*, herba, qua apes admodum delectantur. *Apiarius* & *apiatus* quoque dicitur. Lege *Lib. 4. Virgilii.* De apum mundiſſimorum animalium ac congregabilium natura, vita, morbis, mellificatione, ordine & talibus agit *Phyſicus.* Inter inſecta omnia principatus apibus & jure præcipua admiratio, ſolis & ex eo genere hominum cauſa genitis inquit Plinius *Lib. 11. cap. 5.* Vitam apum ad annos ſex, nonnullarum ad 7. extendunt. Morbos ſuapte natura ſentire, ægrotantes potiſſimum cum ſylva flores æruginoſos tulerit, atque etiam temporibus ſiccis. Mella contrahunt ſuccumque dulciſſimum, ſubtiliſſimum & ſaluberrimum confingunt & ceras. Ordinem eas habere & rempublicam & quod maxime mirum ſit, mores habent. Regibus omnibus, inquit Plinius, forma ſemper egregia, & duplo quam cæteris major, ingreſſus celſior, in fronte macula quadam quaſi diademate candicans: Mira plebis circa eum obedientia, cum procedit una eſt totum examen, circaque eum conglobatur, cingit, protegit, cerni non patitur. Et ſe quæque proxima cupit eſſe, & in officio conſpici gaudet. De quibus Virgilius *lib. 4. Georg.* ſcite canit;

Præterea

Præterea regem non ſic Ægyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaſpes
Obſervant, rege incolumi, mens omnibus una eſt
Amiſſo, rupere fidem, conſtructaque mella
Diripuere ipſæ, & crates ſolvere favorum.
Ille operum cuſtos, illum admirantur, & omnes
Circumſtant fremitu denſo, ſtipantque frequentes:
Et ſæpe attollunt humeris, & corpora bello
Objectant, pulchramque petunt per vulnera mortem.
Illis ira modum ſupra eſt, læſæque venenum
Morſibus inſpirant, & ſpicula cæca relinquunt,
Affixæ venis, animasque in vulnere ponunt.

Et Harſtorffer im Poeten-Trichter, *3. part. p. 148.*

Das zarte Jungfer-Volck, der güldnen Mücken Art,
Macht ſich mit hellem Tag auf ihre Blumen-Fahrt,
Und ſaugt das Zucker-Safft aus den geblüten Bäumen.

Plura, utpote quos flores non attingant apes, quos non purgant, quo fugentur, an ſanguinem habeant, quot diebus operentur prædivinent futura, quot diebus peragant fœtus, cellæ omnes ſex angulæ, a bruma ad Arcturi exortum ſomno alantur, nunquam viſus ſit coitus, defunctas ſepeliantur ab aliis, qua arte reviviſcant, earum lingua qualis vide, apud Plinium *hiſtoriæ mundi edit. Jacobi Dalechampii in indic. voc. apes.* & Ariſtotel. *d. hiſtor. animal. lib. 1. cap. 1. & lib. 5. c. 21. & ſeqq.* addat. elegans diſſert. D. Rappolti *de Apibus.* Die Bienen machen nicht das Honig, ſondern tragen es zuſammen, late Zeiller. *cent. 4. quæſt. 33. pag. 167.*

Th. II. Complures *Politici*, inprimis Pontificii, de optima republica diſſerentes, monarchicum ſtatum præ omnibus laudant eumque tanquam naturalem

ralem ſive naturali inclinationi maxime conformem commendant: Quicunque, dicunt, ſtatus ordini naturæ eſt convenientiſſimus, ille quoque præſtantiſſimus. Atqui regalis ſtatus talis eſt: Siquidem *in apibus Princeps unus*, quem reliquæ fideliter ſeqvuntur; *Grues* quoque ordine literario, ſive in formam literæ *unam* inſeqvuntur, Plinius *Hiſtor. natur. lib. 1. cap. 17.* Id quod Jus Canonicum *in can. in apibus 41. cauſ. 7. quæſt. 5.* infert: *In apibus Princeps unus eſt, & grues unam ſequuntur ordine literario: Imperator unus, judex unus Provinciæ. Roma ut condita eſt duos fratres ſimul habere Reges non potuit, & parricidio dedicatur. In Rebeccæ utero Eſau & Jacob bella geſſerunt, ſinguli Eccleſiarum Epiſcopi, ſinguli Archipresbyteri, ſinguli Archidiaconi, & omnis ordo eccleſiaſticus ſuis rectoribus nititur.* Quod tamen argumentum pro republica ſimpliciter optima alii non admittunt; Ita D. Conring. *in diſſ. d. differentiis regnorum th. 32.* vocat eam ratiocinationem perineptam, nec enim hominum & apum par ratio eſt: nam, quod hiſce commodiſſimum eſt, nihil vetat illis eſſe maxime incommodum. Quomodo præterea induſtria apum cum civium operibus conferatur, vid. egregium libellum Johann. Locenii *de republica apum cum imperii civili comparata.*

Th. III. *Hiſtorici* quam plurima circa apes earumque examina pro bono æque ac malo augurio obſervant. Apes cum ſigna amplecti viſæ fuiſſent (id vero non raro factum hiſtoriæ docent,) prodituro in aciem exercitui malum infauſtumque omen dabant. *De Scipione* dicitur, eum adverſi cum Hannibale prælii prodigia cum alia ha-

buiſſe, tum etiam examen in arbore, quæ prætorio imminebat, conſidens. Livius *Lib. 21. cap. 46.* & Romæ in ipſa urbe apum examen in ipſo foro viſum præter alia prodigia, ob quæ ſupplicatio Romæ ad omnia pulvinaria decreta fuit. Idem *Lib. 24. cap. 10. in fin.* & quod Caſſini (Scamnitium id fuit oppidum) examen apum ingens in foro conſiderit, quo anno duo Coſſ. improvide contra Hannibalem pugnantes & interfecti, veluti orbam Rempublicam reliquerunt. Plutarch. *in M. Brut.* pugnam Bruti & Caſſii cum Auguſto & Antonio ad Philippos deſcribens, enumeratis pluribus oſtentis, *examina,* inquit, *apum ad locum quendam intra caſtra convenerunt: eum locum aruſpices exterminarunt, ſuſpicionem amolientes, quæ militum animos plane occuparat, & ipſum jam Caſſium ab Epicuri decretis ad ſe paulatim ſubducebat. Itaque in præſentia prælio decernere non admodum cogitabat, trahendumque bellum ſvadebat.* Bernegg. *Obſerv. miſcell. 5.* addat. Florus *Lib. 2. cap. 6. & Lib. 4. cap. 2. §. 45. ibique* Freinshemius. *Nec de diis poſſumus queri,* inquit *Florus, imminentem temerario duci cladem prædixerant, inſidentia ſignis apum agmina, & aquilæ prodire volentes, & commiſſam aciem ſecutus ingens terræ tremor.* Lucan. lib. 7.

-- -- ereptaque pila liquavit
Æthereoque nocens fumavit ſulfure ferrum:
Nec non innumero cooperta examine ſigna
Vixque revulſa ſolo.

Lindenbrog. *ad Ammiani Marcell. l. 18. p. 74.* Dion. *lib. 54. pag. 611.* Contra, boni agmina apum fuiſſe ominis

ominis teſtantur Hiſtorici. Sic *Platonis* dormientis in cunis parvuli labellis apes mel inſeruerunt. Qua re audita prodigiorum interpretes ſingularem eloquii ſvavitatem ore ejus emanaturam dixerunt, Valer. Maxim. *lib. I. cap. 6. in fin.* Plin. *lib. II. cap. 17.* & Cicer. *lib. I. de divinatione.* Idem D. *Ambroſio* Mediolanenſum Epiſcopo infanti contigiſſe narrat in ejus vita Paulinus teſte Berneggero *cit. loc.* ut ex eo vere demonſtraretur eloquii ejus futura ſvavitas & magnitudo. Cujus augurii meminit Baptiſta Mantuanus in carmine, quo vitam Ambroſii deſcripſit:

Cum puer in cunis olim dormiret apertis,
Forte labris examen apum ſuper illius ora
Sedit, & ingrediens buccas, tenerumque palatum.
Inveniſſe favis tectum ſe credidit: at mox
In ſublime volans altos diſceſſit in Auſtros.
Hoc pater augurio lætus: ſi vixeris, inquit,
Chare puer, tua te mittet fœcundia ad aſtra.

In hiſtoria Electionis Pontificis Urbani IIX. quam edidit Conringius, circa finem notatu dignum refertur; *paucis diebus ante electionem Urbani magnam vim apum in Collegio Vaticano Verſus Tuſciam convolaſſe, & examen ſupra feneſtram futuri Pontificis cellam contingentem parieti adhæſiſſe. Hoc ſane ſi fortuito contingit, pro notatu digno caſu haberi poteſt, quod paulo antequam Cardinalis ex Tuſcia oriundus (cui apes pro inſignibus gentilitiis erant) eligeretur, examen apum ex Tuſcia advolaverit, & ſupra cellam ipſius in conclavi collocaverit. Sed ſi ſpeciali*

ordinatione divinæ providentiæ id evenit, quæ (ut S. Joh. Damaſcenus exiſtimat) interdum naturalibus rebus abutitur ad prædicendum rerum eventus, quos per ſe ſignificare aptæ natæ non ſunt, dicemus, hoc ſigno Deum voluntatem ſuam de eligendo Papa declarare, & in mediis contentionum & privatorum commodorum tenebris lucem electoribus afferre voluiſſe.

Th. IV. *Jureconſultus* agit de Apibus, non ſecus ac de aliis rebus naturalibus, tam animatis vegetabilibus, *l. 10. l. 48. §. 1. de Uſufr.* quam animantibus brutis *tot. t. ff. ſi quadrup. pauper. fec. l. 12. 13. 15. 16. Inſt. d. rer. div.* habet enim Jurisprudentia ſubjectum materiale cum omnibus diſciplinis commune, ut verum ſit, quod Mercer. *libr. 1. opin. c. 4.* dicit: *per omnes ſcientiarum perceptiones diſcurrere Jurisprudentiam, nec eis quidem carere poſſe, niſi enim carere putes qui ab alio mutuatur.* Formale ſubjectum heic ſunt apes, quatenus de iis jus in foro redditur. Uti de apibus in jure noſtro agitur *in l. 9. §. 1. ff. de Uſufr. l. 6. ff. d. furt. l. 5. §. apum. ff. de acquir. rer. domin. & §. apum. Inſtit. d. rer. diviſ. l. 8. §. ult. famil. herciſc. l. 27. §. ſi cum apes. ff. ad* L. *Aquil. l. 49. ff. eod.* Ut hinc facile conſtet, quid per Jus Apum intelligatur, nempe facultas jure competens circa iſta animalia; quæ potiſſimum conſiſtit *in acquirendo ſeu includendo & amittendo.*

Th. V. Apes ſunt vel *Cicures*, quæ alveis incluſæ ex diuturna conſuetudine & aſſvefactione unius loci avolare & revolare ſolent. Vel *Sylveſtres ſeu feræ*, quæ nullius ſunt. Equidem dubitatum fuit de Apibus, num feræ eſſent naturæ: quibusdam

buſdam exiſtimantibus, hæc immenſæ ſubtilitatis animalcula magis inter inſecta, quam inter feras beſtias referenda eſſe; Verum authoritate & judicio veterum Juriſconſultorum receptum eſt, omnibus apibus generaliter feram naturam eſſe tribuendam. *l. 5. §. 2. ff. d. acquir. rer. domin.* neque exiſtimandum eſt, eo quod evolare & revolare ſolent, eas aliquid de natura manſvetorum animalium participare, & ſic mixti generis eſſe. *§. 15. J. d. rer. div. & acqu. rer. domin.* ſecus ac Plinius *lib. 11. cap. 5.* vult, apes neque feri, atque manſveti generis eſſe. Varro vero *de re ruſtica lib. 3. cap. 6.* quasdam feras, quasdam manſvetas apes facit, quam diſtinctionem probare videtur Paul. *in l. 26. ff. d. furt.* Alio modo diſtinguit Averroes *ad Ariſtot. de generation. animal. lib. 3. cap. 11.* quod tres ſint ſpecies Apum; *una* quæ mellificat, quæ *Apes* appellantur: *alia* vero *Reges* apum: *tertiam* appellant *Fucos ſeu mares apum.*

CAPVT II.

agit

DE INCLVSIONE APVM.

SVMMARIA.

I. *Deus conceſſit hominibus in omnia ſubterranea dominium.* II. *Tria genera animalium ſunt, & ratione eorum tres formantur regulæ.* III. *Apes ſunt res nullius & fiunt occupantium.* IV. *Quanquam principes licentiam occupandi feras beſtias coarctaverunt, hoc tamen ad apes non eſt extendendum, eæ enim fiunt adhuc occupantium.* V. *Apes ergo & favos, quos*

fecerunt h. e. domos & cellulas melle plenas cuique eximere licet. VI. *Quid, ſi apum examina in arbore aliena dependeant, num quis alterius fundum ingredi poſſet?* VII. *Quatenus de Jure Carolino & Saxonico licitum ſit apes includere.*

Th. I.

Eo ipſo dum ex aſſignatione & donatione Dei dominium humanum tam privatum, quam commune eſt ortum, & Protoplaſti repræſentarunt poſteros ſuos tum ut univerſos tum ut ſingulos, D. Alberti *in aureo Tr. quem vocat Compendium juris naturæ orthodox. theologic. conform. c. 7. §. 14.* naturæ auctor permiſit poteſtatem ſingulis omne id, quod in libertate naturali permanſit, neque a quoquam captum & in ſuam proprietatem redactum eſt, apprehendi & in ſuam proprietatem redigendi; Et hoc eſt, quod dicitur jure naturali omnia fuiſſe communia *arg. l. 5. ff. d. J. & J.* & omnia indiviſa omnibus veluti unum cunctis patrimonium Juſtin. *lib. 34.* Quæ itaque cœlo, mari & terra naſcuntur, nec ad alium pertinent, res vacuæ ſunt & alicujus propriæ fieri poſſunt, idque tam de jure divino, quam humano. Matth. Weſenb. *in parat. ff. d. acquir. rer. dom. n. 7.*

Th. II. Quemadmodum autem tria genera ſunt animalium ratione carentium, aut enim ſunt ejusmodi feræ naturæ, ut non niſi vi quadam occupentur ſ. capiantur, atque eo quoque modo retineantur; vel feræ quidem ſunt naturæ, ſed avolare & revolare ſolent; vel ſunt manſvetæ naturæ. Pro hocce animalium diverſitate *tres* formantur *regulæ:*

Prima

Prima eſt, quod primi generis animalia capta a nobis tamdiu ſint in poteſtate noſtra, donec cuſtodiam noſtram evaſerint, atque ſe in libertatem naturalem receperint. *Secunda* eſt, quod ſecundi generis animalia tamdiu ſint in poteſtate noſtra, quamdiu animum revertendi non depoſuerint, ſive conſvetudinem revolandi non amiſerint: *Tertia* eſt, quod tertii generis animalia noſtra maneant, etiamſi turbata conſpectum noſtrum effugerint.

Th. III. Apes itaque, antequam alveis privatorum includuntur, ſunt res *nullius* ſed ſecundum quid, quæ ita comparatæ ſunt, ut occupantis fieri poſſint, atque ſic omni jure fiunt occupantium. *Apes enim*, inquit Imperator, *cum earum fera ſit natura, quæ in arbore noſtra conſederint, antequam in alveo a nobis concluduntur, non magis noſtræ intelliguntur, quam volucres, quæ in arbore noſtra nidum fecerint; ideoque ſi alius eas incluſerit, is dominus earum efficitur, ſcil. apes in arbore noſtra, alius ſine furto eximere poterit, nec furti nobis tenebitur*, idque fit naturali modo acquirendi dominii, nempe jure occupationis. *§. apum 14. Inſt. d. rer. div. & l. naturalem. §. apum ff. d. acqu. rer.* non minus ac ciconiæ, quæ nidos in faſtigiis domuum ædificarunt, domuum dominorum erunt.

Th. IV. Et quamvis Principes occupationem ferarum beſtiarum ſubditis ſuis non amplius permittunt, ſed ſibi venationem ſ. facultatem occupandi feras in nullius dominio exiſtentes non ſine rationibus juſtis propriam fecerunt, ut illud inferioribus ex gratia concedant; jus tamen includendi apes integrum

tegrum atque liberum hactenus ſubditis reliquerunt, non enim quicquam. inſectorum, qualia ſunt apes, Die Bien iſt ein wilder Wurm, Weichbild. *art. 120.* ibique Gloſſ. ademtum eſſe ſubditis conſtat, ideoque eæ hodienum occupanti cedunt; neque reſpectu earum furtum fieri poteſt. Atque ſic Scabini Lipſienſes anno 1663. ad requiſitionem Hieronym. von Mingwitz pronunciarunt: Ob gleich gemeldter Frantz einen Schwarm in euren Gerichten zu Brieſſen aus einer Eiche hinter dem Pfarr-Hofe genommen und weggetragen. Dieweil aber dennoch aus euer Frage nicht zu befinden, daß ihr ſolche Bienen gefaſt, und in euer Gewehr bracht; So hat auch an ſolchen wilden und nicht gefaſten Bienen, vermöge der Rechte, kein Diebſtahl begangen werden können; Und demnach wird der Gefangene ſeines Gefängnüß auf einen gewöhnlichen Unfrieden billig entlediget, V. R. W. Berlich. *p. 5. concl. 50. n. 10.* Philipp. *in uſ. pract. Inſtit. eclog. 5.* Secus eſt, ſi conſvetudine aliud ſit introductum, ut ſi apes ad jus venandi pertineant, quod jus probandum eſt, cum maturalis præſumtio ſit pro ſubditis. *l. 19. C. d. epiſc. & cler.* & illa præſumtio potentior eſt, quæ jure communi inhæret, quam quæ ſpeciali. Cravett. *Conſ. 258.* Equidem Noe Meurer von Forſtlicher Ober-Herrlichkeit und Gerechtigkeit *part* 2. rubr. Von Eigenſchafft der Immen ait: Und giebts der gemeine Gebrauch und Erfahrung, daß die Immen, wie andere Thiere in Forſt gehörig, Wild, niemand, auch keinen Unterthanen, ohn des Forſt-Herrn Wiſſen und Bewilligen, die auszuhauen. Num vero univerſalis illa ſit conſvetudo dubitatur, cum multis

tis in locis incluſio apium in naturali ſuo ſtatu relicta adhuc conſpiciatur.

Th. V. Ex prædictis conſtat, quod ſicut apes cuique eximere licet *l. 26. ff. d. furt.* ita & favos, quos fecerunt, h. e. domos & cellulas melle plenas & congeriem mellis, quam apes ex cera fingunt, ſine furti vitio ad ſe recipere, quaſi rem jure naturæ communem *d. §. 14. Inſt. d. rer. diviſ. & d. l. 26. ff. d. furt. & in l. 5. §. 3. ff. d. acq. rer. dom.* Manz. *in comment. ad d. §. 14. Inſt. d. r. d.*

Th. VI. Quid vero, ſi apium examina in arbore aliena pendeant, num quis alius ita fundum ingredi poſſit, apesque includere, eum in finem, ut dominus earum fiat? Reſpond. *in §. 14.* Poſſe quem alterum prohibere, ne ingrediatur, & auferat, ſc. ſi res integra eſt. Sin autem fundum ingreſſus apes incluſerit, & ſic res non amplius integra ſit, includentis ſunt apes; dominum vero alicujus rei nemo prohibere poteſt, ne in alieno quidem fundo, quo minus rem ſuam auferat *arg. t. t. ff. d. gland. legend.* Manz. *d. l.* Ab hoc tamen jure recedit Caroli M. Conſtitutio, relata Meurero *part. 2. rubr.* Von Immen. Iſt es, daß Immen auffliegen, und fallen auf einen Baum, und Er denen drey Tage nachfolget, ſo ſoll Er jenen ſagen, des der Baum iſt, daß Er mit Ihm gehe, und daß Er ſeine Immen gewinne, ſie ſollen mit einander dargehen, und mit Axen an den Baum ſchlagen, und mit Kolben, oder womit ſie mögen, doch alſo, daß ſie den Baum nicht verſeeren, noch verderben; oder fället er an einen Zaun, oder auf ein Hauß, oder woran er fället, ſo

 iſt

iſt daſſelbe Recht als um den Baum, wenn Er an den Baum die Schläge thut, die hievor genannt ſind, was der Immen herab fallen, die ſollen ſein ſeyn, und was darauf bleibet, die ſind jenes, des der Baum iſt.

Th. VII. De Jure Juſtinianeo apes adhuc captæ vel incluſæ noſtræ ſunt, eousque, donec noſtra cuſtodia coerceantur. Sin autem conſvetudinem & animum revertendi ſeu revolandi depoſuerint (eum autem depoſuiſſe præſumuntur, ſi conjunctim omnes, & gregatim, ut ita loquar, evolaverint, ſua alvearia reliquerint *arg. d. l. 5. §. 5. in fin. ff. d. aqv. rer. dom.* quoniam apes nunquam alvearia ſua ſola & vacua relinqvunt, ſed ſemper aliquæ ibi reperiuntur, quæ cuſtodiam illarum habent Berlich. *c. l. n. 16.* vel cuſtodiam evaſerint, & oculos noſtros effugerint, vel ita ſint in conſpectu, ut difficilis ſit earum perſecutio, noſtræ eſſe deſinunt & rurſus occupantis fiunt. *d. §. 14.* ita tamen, ut ſi dominus apium eas evolare viderit, & inſecutus fuerit, illam neutiquam amittat *l. 1. §. 4. de acquir. rer. domin. nec*, ſi alius prævenerit, & cœperit, illius fiant, ſed domino reſtituere tenetur *d. l. naturalem 5. §. 4. verſ. donec in conſpectu ff. d. acq. rer. dom.* Ut autem de præventione eo melius conſtare queat, dominus facere poteſt ſignum in arbore, ex quo apparet, quod dominium & poſſeſſionem apum & mellis acceperit Joh. Bajard. *in addit. ad Jul. Clar. tit. 5. Sentent. §. furtum n. 6.* Si vero nova illa ſoboles inſcio & ignorante domino emigraverit, tunc illa occupantis erit, licet vel maxime dominus poſtea eam viderit, & ex ſuis alveis evolaſſe probare poſſit Schneidew. *ad §.*

apum

apum 14. Inſt. d. rer. div. quia ſemel ejus dominium evaſit & in naturalem libertatem ſe recepit, ideoque merito occupantis efficitur. *§. 12. verſ. quicquid. d. rer. div.*

Th. VIII. *De Jure Saxonico* dubium videtur, num examen apum evolans ad vicinum, huic acquiratur, ut capiens non teneatur domino perſequenti eas reſtituere; annon potius ſtandum ſit jure communi, & ſaltem dominus fundi propior ſit perſequente, ſaltem ad hoc, ut prohibere poſſit prohibentem ab ingreſſu fundi ſui? Poſterius nonnulli adſtruunt, nec admittere volunt differentiam inter Jus Saxonicum & Civile, propter verba in text. Weichbild. *art. 119.* ibi: Fleucht ein Bienen-Schwarm aus eines Mannes Hauß oder Hof zu ſeinem Nachbar, er iſt den Schwarm näher zu behalten, denn jener, der ihm nachfolget, denn die Biene iſt ein wilder Wurm. Inde Matth. Berlich. *part. 5. concluſ. 50.* dicit dominum fundi propiorem eſſe perſequente, non ratione acquiſitionis, ſed quod prohibere perſequentem ab ingreſſu fundi ſui poſſit. D. Strauch. *diſſert. 6. th. 18.* add. Schulz. *Synopſ. inſtit. ad tit. d. rer. diviſ. lit. L.* Verum de Carpz. *p. 4. c. 36. d. 4.* prius ſc. examen apum evolans ad vicinum ipſi ſtatim acquiri, aſſerit, & in practica fori Saxonici illud obſervari atque ita fuiſſe pronunciatum. Placet diſtinctio Dn. D. Chriſtian. Thomaſii *in annotat. practic. ad Strauchii diſſert. 6. th. 28.* qui tres quæſtiones format: *Prima* eſt, an apes meæ victus cauſa evolantes a vicino, qui in campſo ſuo, aut horto, eas deprehendit, includi poſſint aut occupari? & hanc negat Berlich. *c. l. n. 17.* neque eſt differen-

ferentia inter Jus Sax. & Civile. *Secunda* eſt, an examen apum ad vicinum evolans, a vicino poſſit occupari, verusque dominus ab ingreſſione fundi arceri? quam affirmat Carpz. *c. l.* in quo caſu diverſitas eſt jurium, civilis & Saxon. nam de jure civili vicinus meus tenetur pati, ut ego recipiendæ feræ meæ beſtiæ gratia ipſius fundum ingrediar vid. Locam. *quæſt. Juſtin. 122.* *Tertia* eſt, an hoc altero caſu ipſo jure acquirantur apes vicino, an vero opus ſit occupatione, ita ut ſi tertius eas occupet, & a tertio apes ſint acquiſitæ? Ea negatur, ſcil. apes non ipſo jure acquiri vicino ſed mediante occupatione; ac dominum apum poſſe eas rurſus ſibi ſubjicere, niſi a vicino prohibeatur, aut apes jam ab alio ſint iterum occupatæ per incluſionem in alveum; quod idem facere poteſt tertius, in quo rurſus inter jus Saxon. & civile differentia, per dicta *ad quæſt. 2.*

CAPVT III. & Ultimum.

DE

FVRTO APVM ET RELIQVO EARVM IVRE.

SVMMARIA.

I. *Apum incluſarum furtum fit.* II. *Num vero apum & favorum fures pœna laquei puniri poſſint?* III. *Damnum inferens apibus alienis domino ad intereſſe tenetur.* IV. *Si quis apes in muris poſitas necet, eo maiori pœna efficiendus eſt.* V. *Ratione mellis collecta qnandoque imponitur.*

Th. I.

Th. I.

Hactenus dictum eſt de incluſione apum. Iam videamus *de apibus incluſis*, quarum domini effecti ſumus, ſi eas amittimus, quod fit, ſi illarum furtum fiat, vel damnum illis inferatur. Incluſæ quando retinentur ab aliquo, dubium non eſt, furtum in iis committi, quia non res communes, ſed res alienæ invito domino contrectantur *arg. §. 1. Inſt. d. oblig. quæ ex delict.* Et jure Electorali Saxonico *p. 4. c. 36.* fures apium & favorum, perinde ac reliqui fures puniuntur. Ita Dn. Scabini Lipſienſes reſponderunt: Hat nun bemeldte Inquiſitin in gutem bekannt und geſtanden, daß ſie bey Nacht, als ihr Mann geſchlaffen, über die Wand geſtiegen, die zween Bienenſtöcke ausgeſchnitten, und das Honig daraus genommen, dahero ſolche Bienenſtöcke, ſo auf 5. Thaler geſchätzet, dermaſſen verderbet, daß ſie ſich ſchwerlich wieder erholen werden, wie denn auch das Honig allein, ſo man bey Inquiſitin gefunden, 18. Gr. werth geweſen &c. So wird ſie wegen ſolchen begangenen und bekannten Diebſtahls, mit zeitlicher Landes-Verweiſung billich in Straffe genommen. V. R. W.

Th. II. *Num vero fures apium & favorum ſi furtum magnum & quinque ſolidos excedens fuerit, pœna capitis poſſint puniri?* quæſtionis eſt. Reſp. Si pœna laquei ſtatuta in fures aliarum ferarum juſta eſt, quare non ea in fures apum ſtatuta legitima ſit, non ſolum, quando in ipſis apibus, ſed etiam in earum favis fit & melle *Conſtit. Elect. Sax. 36. p. 4.* Jacob de Bellovis. *in pract. crimin. cap. 20. num. 52. verſ. ſi modica animalia.* Aut. *Conſult. Conſtit. Saxon. tom. 2.*

part. 4. quæſt. 30. Si vero quinque ſolidos non excedit, ejusmodi fures arbitrarie ſunt puniendi, vel carcere, vel relegatione, vel etiam fuſtigatione Berlich. *p. 5. concl. 50. n. 7.* Equidem exiſtimat D. Carpzov. *p. 4. c. 36. d. 2. ut & in pract. crim. p. 2. qu. 81. num. 54.* etiamſi furtum ſit magnum, fures apum & favorum laqueo non eſſe puniendos, cum æſtimatio apum & favorum reſpici & conſiderari debeat, quæ tamen ſemper incerta ſit, & veritas nunquam explorari poſſit; & ita judicatum refert. Verum, quando ejusmodi fur fatetur, ſe tot aureos pro melle accepiſſe, & dominus apium jurato dicat, quod alveum tanti habuerit, ſi vendidiſſet, quare non pari cum aliis furibus pœna debeat affici?

Th. III. Damnum inſerens apibus alienis, v. g. ſi occidat eas minuatve, tenetur domino ad intereſſe actione Legis aquiliæ *per l. ſi quis 49. pr. ff. ad L. Aquil.* in qua dicitur, quod apibus alienis fumo facto fugatis vel necatis, actione in factum teneatur is, qui hoc fecit, quia magis cauſam mortis præſtitiſſe videtur, quam occidiſſe. Brunnem. *ad d. l. 49. d. L. Aqu.* Quin & judicem hoc caſu pœnam arbitrariam delinquenti tuto imponere, aut ſaltem mulctam pecuniariam ab eo exigere poſſit, non dubitandum Carpzov. *p. 4. c. 36. d. 3.* & ita refert reſponſum Scabinor. d. anno 1620. Hat H. H. im nechſtverſchienen Martio, als die Sonne warm geſchienen, und ein ſchöner heller Tag geweſen, eine Schüſſel mit Honig, unter welches, wie vermuthlich, auch andere Sachen vermiſchet, in ſeinen Garten geſatzt, und als ſeiner Nachbarn Bienen dieſes gerochen, häuffig zugeflogen, und ſich angehänget, hat er viel derſelbigen mit einem

nem Span zerdrucket und umgebracht, immittelſt aber ſeine eigene Bienen, damit ſie nicht gleiches-falls herzu fliegen möchten, in ſeiner Scheuer verwahret, und mit Tüchern bedecket, und als ſolches durch ſeine Nachbarn gerüget worden, hat Er zu ſeinem Behelff nur dieſes angeführet, er hätte ſie vor Raub-Bienen gehalten, welche den Seinigen ihr Honig entführen wollen &c. So iſt vorbemeldter H. H. ſeinen Nachbarn den Abgang der Bienen und dahero rührenden Schäden, ſo viel ein jeder beſcheinigen wird, zu erſtatten ſchuldig, und mag willkührlichen entweder ein 3. oder 4. Tage lang mit Gefängniß, oder um eine ziemliche Geld-Buſſe ſeinem Vermögen nach, jedoch, daß ſich dieſelbige über ein Silber-Schock nicht erſtrecke, in Straffe genommen werden, V. R. W. Ex quibus inferre licet, quod qui facit quo rapaces fiant apes propriæ, ut furentur alveos aliorum, vel qui ſciens tales habet, vicinis vel aliis, ſi probari poſſit illatum damnum, ad intereſſe teneatur, & arbitrarie puniri juſſit. add. Quintilianum *declamat. 13.* qua pauper diviti intendit litem damni injuria dati, ob apes ſuas veneno interfectas.

Th. IV. Apes poſitas in muris, ut eo major illius loci ſit ſecuritas, & ſi quis transſilire eos velit, ab aculeatis hiſce animalculis ens amoveatur, necans, eisve damnum inferat, eo majori afficiendus eſt pœna, quo ſanctiora ſunt loca *arg. §. 10. Inſt. d. rer. div.* vid. Zeiller. *cent. 5. ep. p. 506.*

Th. V. Cœterum ratione mellis collecta nonnullis in locis ſolvitur, præſertim ubi magna eſt apium

apium copia. In Polonia & Lituania cura earum frequens eſt in Sylvis ad mulſi confectionem, & ut ad vicinos exteros transfertur mel & cera. Et tanta eſt ibi mellis abundantia, ut paſſim & libere in rupibus, concavisque arboribus id inveniatur, etiam quandoque ab apium examinibus deſtitutum. Joan. Ludov. Gothofred. *in Archontologia Coſmica lib. 7. n. 14. fol. 401. col. 1.* ex quo Rex Poloniæ magnum vectigal percipit Klock. *de ærario lib. 2. cap. 7. n. 2.* Plura qui de apium doctrina deſiderat, adeat Simon. Majol. *dier. Canicular. lib. fol. 93. & ſeqq.* Caſpar Dornav. *in Amphitheatro Sapientiæ Socratica jocoſeriæ in encomio apum.* Theol. Höpping. *in tr. d. jur. inſign. c. 9.*

Tantum.

Ad 11472548